TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE

DE

AFFECTIBUS HYSTERICIS.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE

DE

AFFECTIBUS HYSTERICIS;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES BAPTISTA PHILIP,

EX INSULA SANCTISSIMAE TRINITATIS,

CHIRURGUS.

——— *nil fuit unquam*
Sic impar sibi ——— HORATIUS.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1815.

CONSANGUINEO AMANTISSIMO,

LUDOVICO EDMUNDO THORNTON,

ARMIGERO,

HOC ANIMI GRATI TESTIMONIUM,

OB PIGNORA IN SE HONORIFICA

PER PLURES JAM ANNOS

COLLOCATA,

QUAM BENEVOLE POSUIT

AUCTOR.

VINCENTIO WANOSTROCHT,

ARMIGERO,

DE ALFRED-HOUSE, CAMBERWELL,

COMITATU SURRIA,

PAGINAS HASCE SEQUENTES,

OB GRATAM EJUS CURAE ET BENEVOLENTIAE,

QUAM HOSPES SAEPISSIME EXPERTUS,

FOVET ATQUE FOVEBIT, MEMORIAM,

LUBENTISSIMO ANIMO,

DEDICAT

AMICUS ET DISCIPULUS.

John Cleland Esqre
with the best wishes
of his friend
The Author.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE

DE

AFFECTIBUS HYSTERICIS.

Intra hunc tam longum malorum vitae censum, nulla forsitan eandem considerationem ac ea quae tractaturi sumus, excitarunt; nimirum in quae plus scriptum sit, quorumve phaenomena minus a medicis illustrantur. A prima utique medicinae origine innotuerunt, nec videntur aut coelum, aut tempora anni, valde genium mutare.

Nomen quidem ab ὑστέρα Graecorum detractum, antiquiorum virorum sententiam de iis sa-

tis demonstrat. Ob hoc enim organo quodammodo pendere hysteriam arbitrati sunt, sexuique sequiori soli ex necesse contingere. Ratio quam reddiderunt in primis, futilis; erroresque in quos anatomes ignorantia seduceret, luculenter ostendit. Nepotes, quorum sapientia sibi nihil displicuit, opiniones novas contexerunt, et hae quoque, tempus suum scholiis rexerunt. Seculum quodque etiam ut sequeretur, alias et plures conjecturas quidem proferebat, paucula autem vera inventa; placidius enim imaginationem per omnia spatiari sinere, quam judicium intra strictas philosophandi leges cohibere, statuimus. Vix ulterius progreditur, donec WILLISIUS nostras, nervos attentiore quam antecessores oculo consideravit; sed eorum nimis similis, haudquaquam explicanda explicare quam maxime voluisset. Infinitae fere notiones postea prolatae sunt; omnes autem, (sic Diis placitum), malorum hystericorum complicationem explicandae parum competunt.

Lapsu illorum, hypothesi, inductionive nimis partiali fidentium probe perspecto, medici haud pauci, phaenomena hysteriae explicari non

posse, naturamque operibus suis debilem et abnormem existere, post exclamaverunt, beati residunt. Hoc parum contentus, Ferriar * adjicit, eam, " as if in ridicule of the attempts " to unmask her, has in this class of diseases, " reconciled contradictions, and realised im- " probabilities, with a mysterious versatility, " which inspires the true philosopher with dif- " fidence, and reduces the systematic to de- " spair." Constat tamen, naturam omni exemplo eandem constantem et fidam monitorem se praebere; verum medici nimium sibi illudunt, se illa sapientiores credentes. Si quid (quam multum!) forte ignorent, desidiosi ulterius indagare metuunt, tenebrasve quas rem involvere sibi persuadent, verentur, somnia deridicula depromendo contentos restant. Penes auctores, si errant, culpa sit; generis enim nervosi (namque confiteor, investigatio cum primis anfractuosa sit) leges tam fideles et regulares esse credo, quam aliae naturae quaepiam, si leges reciprocae animum inter corpusque actionis si-

* Medical Histories and Reflections, vol. ii, p. 12.

mul perpendantur. Hactenus sane, istiusmodi tales leges parum expositae sunt: verum multum abest, ut in aeternum inexplicabiles crederem; nec omnino desperarem, alium quasi NEWTONUM nascendum, harum limites eadem accuratione qua materiae non animatae, exploraturum et fixurum.

Interim, nostri sit diligenter observare naturam; ratiocinationes vero fundamento solido haud nisas, prorsus ablegare; res veras factasque, quas plurium seculorum experientia cumulavit, exploremus; et cùm, sine suppositione amplius rem agere non possimus, si gradum cohibemus, bene est, efficimus sane quod perpauci antehac potuerunt.

Hysteria, pauculis exemplis exceptis, foeminas solummodo vexat, quae a primis menstruis ad cessata eadem usque, ejus impetui patescunt; frequentia quoque circa fluxum ipsum perhibetur. Mulieres sensu acutiore, habituque corporis delicatiore, imprimis afficit, quanquam robustae et plenae saepe plectantur. Viduas prae nuptiis rapit, praesertim maturius marito orbatas; sterilesque prae foecundis.

Furore uterino stimulatae (plerumque inter victimas libidinis Asianae) foeminae mirum in modum hystericis totis malis patere dicuntur. Morbus hicce (mihi videtur) sine proclivitate praeeunte nunquam exoritur; quae proclivitas, a fabrica congenita originem ducat, casuve aliquo adjiciatur. Utrovis exemplo, nimia generis nervosi proxima consequitur mobilitas; atque huic conditioni adeo irritabili corporis, a plurimis causis obnoxiae fiunt foeminae. Locus quem ordine animantium obtinent, summa munera quibus fungi contigit, quaeque turbata, compaginem foemineam tam acriter sentientem reddunt, istiusmodi sunt exempla. Vitae quoque genus sub coërcitione nimia eas detinet; nam aut sedentariae conditioni destinant res domesticae, aut luxuria, spectaculis, et deliciis, frangunt et dissipant opes. Alterutrum infinitis mulieribus contingit, ab inepta sutricula ad macidam, pallentem sed illustrem heroinam. Status uteri eorum corpora imbecilla maxime regit, neque mirum videri deberet, si tales morbi in his excitantur, causis quae in sexum fortiorem prope frustra egissent.

Veruntamen, hujusmodi mobilitas variis in modis intendatur ; qualia coelum, praesertim calidum coelum, solitarium vitae genus, studia protracta, exinanitiones nimiae, menstrua suppressa vel obstructa, sensibus nimia indulgentia, liquorum meraciorum potatio, calentumque haustuum, quales *Thea* aut *Coffaea*, inedia, cibus parcus et sordidus, vigiliae, infinitaque alia. Affectus animi deprimentes, moestitia diuturna, solicitudo, spes procrastinata, et similia, eodem fere modo afficere videntur. Ubi proclivitas hujusmodi subest, affectus hysterici a nugis aëre inanioribus arcessantur: promptissime a gaudio repentino, timore, dolore acuto, consternatione, aliisve animi vehementioribus affectibus, aut motibus. "Here too," nobis refert auctor ingenuus, "here too, the medical "moralist again appears ; but I believe his in- "sinuations, equally groundless and indelicate, "exist only in his own prurient imagination." Ab his aliisque quamplurimis causis, foeminarum genus nervosum adeo mobile fit, quod fatigatio levis, odores quidam, soni subiti insperati, atque res aliquae sensus ingratos vel molestos

inducentes, accessiones hujus mali animique defectionem adduxisse scivimus. Nec desunt exempla virorum etiam hoc morbo laborantium, sed minime quotidiana videntur. Ubi incidit, in proclivitatem haereditarium referendum erit, et haud parum vita otiosa, sedentaria, nutriri videbitur.

Nequaquam facile esset hysteriam accurate definire, tam multivaga enim et varia indicia ostendit, quod SYDENHAMUS * neque Proteus unquam similiter lusisse, neque coloratum spectatum esse chamaeleonta, affirmaverit. Hysteria non una affectio, sub eadem figura recurrere diversis accessionibus opportuna denominanda est, sed malorum congeries, nervos afficientium, foeminasque a quartodecimo anno usque ad quadragesimum quintum annum aetatis. Turbam tantam malorum certis notis depingere conari perabsurdum esset; vis enim eidem foeminae eadem ordine et vi nunquam fere revertuntur; neque duabus foeminis simul affectis, eadem aut similia videntur.

* Dissertatio Epistol. ad G. Cole, 260.

Affectus hysterici paroxysmis maxime adoriuntur, circuitus certos aliquando servantibus: saepissime ab affectibus animi, rebusve sensus externos exagitantibus, rarius imitatione ipsa, inducuntur. Accessus plerumque subiti; aliquando tamen, languor, lassitudo, animi demissi et anxii, lacrymae effusae, nausea ventriculi, spiritus difficilis, dolor frontis, temporum vel oculorum, qui uno in puncto, quasi cum clavo transfigere simulans, *clavus hystericus* nuncupatur; omnia accessionem jam instare praemonent. Frigus quibusdam, cum rigore per corpus, aut crura, primo percipitur; posthac, oscitatio, pandiculatio, cordis palpitatio, tussis sicca, debilitas, fluxus urinae et subitus et praeter solitum largus, sensus perplexi; visus, memoria, imaginatio amissa vel laesa, sequuntur.

Tum praecipue indicatur globulo ex imo ventre abdomen peragrante, ventriculum adveniente, indeque gulam summam premente, qui pariter suffocat et impedit, ne aegrotans devorare possit. Aegra mire concidit, stupore, sensuumque privatione perculsa. Corpus valde contractionibus musculorum variorum agitatur, abdominis praesertim, compressi quam maxime

et retracti. Truncus ipse huc illuc torquetur, membra aliter atque aliter agitantur; plerumque tamen, brachium alterum manusve pectus crebro et vehementer ictibus pulsat. Ani sphincter adeo firmiter constrictus est, ut ne parvulam quidem fistulam intra receperit. In exemplis aliis, nulli abnormes motus observantur, aegraque sopore altissimo sine sensu et motu retineri videtur; aliis autem, caput membraque exagitantur. Multis, in universum motus abnormes adsunt, in risu, fletu, ejulatu, alternis vicibus, peractis; verba non cohaerent; delirium fugax invadit, salivaque spumans elabitur ore. Per aliquod tempus hi motus reciprocantur, donec somnus demum iis superveniat. Ex hoc expergiscitur hysterica, oscitans, suspirans, singultiens: dolor capitis sentitur, et sonitus fremens, murmurans, per omnem intestinorum cursum auditur, cùm spiritus sursum expellitur. Aegra saepius ne minime quidem rerum quae interea geruntur, meminit. Semel tamen atque iterum, quanquam plures mulieres loquela et motu priventur, morbo affectae, tamen et audiunt et intelligunt quicquid ab adstanti-

bus dicitur. Visae sunt, inquit Pomme *, irae paroxysmo resuscitas esse, contra eos aliquid facere volentes quod iis displicuit. Singultus haud raro inter signa est; per biduum triduumve duravit sine intermissione, et aegram infirmare perrexerit, donec suffocatio inde mortem attulerit. Talis casus autem rarior est. Icterus facile discessurus, post motus hos convulsivos, oriri nonnunquam visus est.

Ubi tali forma modoque vehementi urget, discrimina vix nos possunt fallere. Multum tamen abest, ut haec violentia semper aut saepius urgeat. Horum signorum pluria aut pauciora paroxysmis singulis inesse possunt, et in morbo hysteria abnormi designato, indicia speciem fere cujuscunque morbi induant; quo increbuit opinio, philosophiam sane nihil redolens, aliorum morborum alios imitantium. Indicia usitatiora sunt, hemicrania, vertigo praecipue post subitum exortum, tinnitus aurium, stupor, vel frigoris sensus capitis, tussis; alvus modo dura, modo soluta; appetentia cibi

---

* Des Affections Vaporeuses.

nunc inordinata, nunc nulla. Plurimas, dolores vagi, subiti calores, horrores, sudores frigidae, cum angore molestissimo, aut in dorso aut inter scapulas, infestant. Aliis, tumores duri in facie, manibus, brachiis, cruribus, femoribus sunt; aliis vero, subitae distentiones, aut subsultus tendinum, membrorum praesertim inferiorum molestiam facessant; quae membra, spasmis et sensibus molestis solicitata, haud parum aegrotantis somnum interpellunt. Quaedam per septimanas integras aeque copiose salivam expuere, quasi hydrargyro dato, non desinunt. Arteriarum motus fere mille modis variat; modo debilis, parvus, interruptus; modo firmius, creber, omni excitationis indicio stipatus; modo iterum, cerebrum oppressione laborare haud obscure indicat. Variat quoque multum iisdem cubantibus, brevissimo forsan spatio, siquando hysteria omnigenorum animi affectuum prae se tulerit. Prae omnibus animus laborat; fit mobilis, mutabilis, meticulosus, contradicti impatiens, solatii impotens: praeter solitum omni impulsui parens; nunc severus et tacitus; nunc hilaris et loquax; nunc

quam maxime iners; nunc praeter modum et officium occupatus. Gaudium nihil significans, cachinni convulsivi, cum moerore, depressione, et desperatione alternantur: nonnunquam etiam affectus alienissimi conjungi videntur, adeo ut corpore cachinnis soluto, oculi tamen luctum gravissimum ostendant; aut oculis contra prae gaudio aut voluptate micantibus, vultus nihilominus tristis erit, et oris anguli demissi, moestitiam teterrimam eloquuntur. Omnia hoc in morbo indicia muneris cerebri laesi recensere, ut difficile, sic inutile esset; quippe quibus nihil fallacis, nihil inepti, non inesset. Is status est, qui plurimis pro hypochondriasi perceptus est; sed mendose. Haec mentis conditio, mirandum in modum a poëta depincta est, in verbis sequentibus, quibus moestum sui ipsius statum nobis delineavit:

> "Ombre de l'homme, et des vivans rayé,
> "Sot par nature, et sage par foiblesse,
> "Malade, sain, ennuyeux, ennuyé,
> "Je ris sans joie, et pleurs sans tristesse."

Nonnulli voluerunt hystericarum dolores plerumque imaginatione solummodo extitisse; dum

e contra omnes revera existere persuasissimum habeo. Quibuscunque causis origines deduci possint, medici est artem exercere ut summoventur; et nec animum facillime exasperatum levitate intempestiva perturbare, neque sensibilitatem nimis teneram ludibrio et contumeliis exponere.

Accessiones hystericas ex aliis nervorum malis dignoscere possumus, et propriis signis, et multis in exemplis, cordis et arteriarum motu. In syncope intermittitur; vultus pallidi sunt, et sudor frigidus, copiosus, totum corpus irrorat. Syncope iterum brevi tantum haeret, quomodocunque abeat; hysteria vero per multas horas, et dies etiam permanserit; porro, color minus perit, et pulsus, quanquam minuti, sentientur adhuc. Attamen hic monendum erit, hoc minime perpetuum esse. "Dans quelques "femmes, le pouls est totalement eclipsé, et "la respiration se fait d'une maniere si insensi-"ble qu'elle ne ternit point la glace, et n'é-"branle point la flamme d'une bougie qu'on "presente au nez *." Inter medicos multum

* Pomme opere citato, p. 4.

diuque disceptatum est, hysteria et hypochondriasis omnino diversae sint, an variae solum ejusdem morbi conditiones; et utraque opinione claris scriptoribus adoptata. Sententia ultima tamen incuriae et negligentiae summa fuit; morbi omnibus in rebus differunt, affinibus aliis autem similes, utcunque diversi, veruntamen multis in aegris conjungi possint. Exempli gratia, hypochondriacus, cui semper est dyspepsia, nunc atque iterum sub hysteriae paroxysmis laborare videatur; et hystericam aliquando hypochondriasis signa affligunt. Animadversuri tandem sumus copiose indicia quibus discordant. Altera foeminas, juvenes, sanguine plenas, adoritur; altera viros, vetulos et desperantes; altera in paroxysmis fere semper accidit; altera longus inveteratus est morbus; altera aetate provectiore plurimum sublevatur; altera pariter eadem intenditur; altera spasmis stipatur, nec saepe cum dyspepsia; dum altera, dyspepsia semper, spasmis rarissime nec unquam vehementes, adsunt. Porro, corporis constitutiones toto coelo diversae sunt; ad hysteriam ciendum *temperamentum* sanguineum exigitur; e contra, hypochondriasis melancho-

licum exquirit. His peraeque perpensis, quanquam quaedam sint communia, nullum tamen argumentum idoneum, quatenus ipse video, illos morbos prorsus eosdem esse comprobat. In apoplexia motus arteriarum intenditur, et accessionem stertor plerumque comitatur. Ab epilepsia dignoscimus, quia pupilla non patula fit in hysteria; sed melius, murmure abdominis, globo, transituque crebro a risu in lacrymationem.

Rarissime omnino sanatur hysteria; et si vehemens sit, aut diuturna, mortem per utrumque jam dictos morbos afferre potest; aut in melancholiam, catalepsiam, insaniam, permutetur.

Nunc transeundum est ad tractationem ipsam, et ea fit genus nervosum confirmando. Quapropter maxime animadvertendum est, ut purus aër inhaletur, ut cibi idonei indentur, ut alvus nihil dura servetur. Hinc magis innitor, quoniam haud ita pridem Doctor Hamilton, oculos medicorum omnium in se traxit, libello suo aureo *, ubi purgantia imprimis esse utilia in hoc affectu satis superque monstravit.

---

* Observations on Purgative Medicines.

Propos.ii, causam ejusdem quodam nervorum intestinorum irritamento inhaerere; irritamentum ipsum a multis causis, sed praecipue a multo stercore in intestinis contracto, oriri; unde hujus praecepti ratio palam est. Opinio jam olim increbuit inter medicos, temperamentum nervosum exinanitiones male sustinere; at hysteria, omni conatui saepius nihil cedente, impulsus est Doctor Hamilton ut aequa mente eam latius et accuratius exploraret. Tali recensu, priores morbi rationes, et ipsius medicinae utilitatem in morbum jam inveteratum, multa effecerunt ut parvi penderet. Omnibus vero indiciis rite perpensis, contendit doctissimus, affectum praeter naturam ventriculi et intestini ipsius indicari; affectum primarium esse; et ortum malis hystericis multiplicibus praebere. Purgantia usui adhibuit ad duritiem alvi, quae raro deest, summovendam. Meminisse tamen juvabit, sic ille nos monet, ut tota curatione, morbus et amplum modum et medicamentum satis acre requirat, ad alvum etiam modice dejiciendum; atque hoc quotidie fieri, donec stercus, ut decet, descendit, aut morbus decessit. Talibus remediis adhibitis, modo so-

lis, modo paucis aliis conjunctis, Doctor HAMILTON plerumque malo occurrit, ut in exemplis quae dedit pretiosis, videre est.

Auctoritas aliorum et celebrium medicorum eandem curandi rationem (usu purgantium) fere stabilivit: multi tamen reclamant, hanc corpus infirmare credentes, eoque proclivius ab impulsu quoque agitari praestantem. Ille autem nulla fere, nisi quae ab omnibus purgare accipiuntur, usui advocat; *plenam vero eorundem vim purgatoriam evitat;* unde, ni fallor, cavillationi jam dictae, probe satisfieri possumus. Aliud huic medicinae impedimentum est, ut multis persuasum est, quod morbus, etiamsi removeatur, alvus tamen, vi tantae soli assueta respondere, non amplius moveri sine eadem poterit; nec adhuc cum ea, nisi copia largiore. Hoc forsitan bene tenet homine sano purgantibus promiscue utente; atqui ostendi possit, multis in morborum exemplis, durities alvi talium auxiliorum stimulum poscere, ad sanam intestinorum conditionem reddendam, dejectionemque sui oneris moliendam. "In pro-"portion as these objects are accomplished,"

persequitur auctor sagax, " the stimulus from " the same purgative becomes more and more " powerful: and so little is the necessity " for continuing it, or for increasing its dose, " that, on the contrary, were not the activity " of the purgative diminished, or were it not " withdrawn altogether, as convalescence ad- " vances, we should be in danger of inducing " weakness by excess of purging."

Exercitatio ante omnia habenda est. Animum delectat, cibi cupiditatem et concoctionem acuit, functionibus restaurat, denique, universum corpus colligit atque roborat.

Navigatio item a GILCHRIST *, ut apprime salutifera, laudata est: haud dubito eam plurimum profuisse, cum hystericam a rebus atque cogitationibus insuavis molestiam excituris, dimoverit. Lavationem frigidam, ubi vires aegri patiuntur, experiri licet. Tonum ventriculi adjuvat, dejectionesque evocat; res utique a medicis quae nimis siletur. Hoc remedium nimis forsan utendum est Gallicos inter medicos.

* On Sea Voyages.

Male cecidit medicinam et facientibus et patientibus, (praecipue iis, de quibus sermo est), quod nimis proni semper fuerint majora auxilia a medicamentis sperare, quam usus jam omnium seculorum ostendit medicamina posse. Corpore incursu crebro fracto, aegrae, quicquid offeratur devorat, unde agmen illud remediorum *anti-nervosorum* et *anti-hystericorum*, quae morbum intendunt omnibus in gradubus, solum profisciscentur. Ubi medicamina aliquod possunt, ferrum, chalybeata, cinchona, gentiana, quassia, aliaque roborantia ex vegetabilibus, vel cuprum, zincum, &c. aut bene devorantur, aut bene devorari putantur. Acida fossilia quoque, nimirum sulphuricum, muriaticum, nitricum, ubi male concoquitur, adhiberi possunt.

Fontes medicinales diu multumque laudati sunt; quorum praecipui ferro sese imbuerunt, indeque maximi existimantur; certe iidem cum aliquo sale purgante conjuncti, (ut *Cheltenham* fit), auxilium huic morbo egregium afferunt. Exempla tamen haud pauca videmus, ubi aquae, qualibus et *gas hydrosulphuretum*, et quodvis

sal medium insunt, (tales apud *Harrowgate* et *Moffat* inveniuntur), jure antihabendae sunt. Vires harum salutiferae gratae mentis voluptati et recreationi quas hujusmodi loca praebent, debeatur; ac ad hanc probe temperandam et exhilarandam imprimis animadvertere opus est.

Si crebri hysteriae recursus, exinanitionibus suppressis, et similibus tribuuntur, indicationes satis apparent: quid fieri oportet quando ex leucorrhoea oritur, omnium in ore est.

Accessio si adest, notis solitis animadvertendum est; aegram, juvenem, pleniorem, in novo morbo, sanguinem libere amittere oportet; quanquam contra hanc, ut purgantia, multa allegantur. Tempus autem male tenerem, si sententias ipsas vel fautorum vel recusantium allegarem. Sed, ni fallor, hoc opprobrium sanguinis missioni incubans, temeritati medicorum diuturnitate mali minus consulentium debetur. Morbus enim longus, inveteratus, aut corpus tenerius imbecillum, hanc medicinam non recipit. Hoffmanus rarius usu, quam ratione falsus, enarrat, " Vidimus foeminas, spasmis uteri-
" nis crebrius et immaniter cruciatas, sine omni

" sensu et motu, facie rubicunda, tumida, instar " apoplecticae jacentes; novimus quoque vir- " gines, sanguine plenas, spiratione ac loquela " fere privatas, mensibusque repente per terro- " rem cohibitis, vel epileptico insultu correp- " tas; quae venae sectione instituta protinus " ad se redierunt *." HOME celeberrimus pater exempla hysteria laborantia, sanguinis missione sanata esse memorat †.

Nullis vero illam hortantibus, aut ipsa haud prospere cedente, ad volatilia, gummi-foetida, plumas apud nares combustas, confugiendum est. Quibusdam in exemplis, aqua frigida subito injecta manibus, facie, &c. saepius autem aqua tepida, auxilio praestantissimo fuerunt. Laxantia cum antispasmodicis aquave florum *anthemidis nobilis*, cui aliquid salis adjectum fuit, in alvum infusae, multum aegrae profecerunt. Emplastrum sinapeos, aut gummosum haud raro bene responderent.

Aegrotanti, quam primum devorare posse videatur, aliquod *antispasmodicum* dandum est.

* De Malo Hysterico, tom. iii, fol. 55.

† Clinical Facts and Experiments, 153.

Opium vero, utcunque diu crebrove usitetur, remedium huic minime idoneum aestimo, et nunquam adhibendum donec omne quodcunque aliud medicamentum frustra tentavimus. *Assafoetida* omnibus laudatur, sed aliis ejusdem naturae miscenda est; aliis enim se omnino abhorret; aliis dolores ventriculi, et vomitus excitat. *Aether sulphuricus*, non nisi brevi perdurat, neque adhiberi opus est, si non fere statim post admotum aegram restituit. Tinctura *valerianae* ammoniata, *castoreum*, *camphora*, *hyoscyamus*, *crocus sativus*, innumera fere alia (quorum nonnullorum ne nomina quidem audiuntur, nisi in libris consulto de materia medica exaratis) remedia, usurpata sunt, aliquando (fatebor enim forte cum bona fortuna), longe tamen saepius nullo prorsus fructu.

Attamen primum hic recensitum, a Professore artis obstetricae nostro integerrimo (Juniore Hamilton), ut auxilium nunquam falsurum laudatur: dum Home eximius pater (libro jam citato), semper debile, nonnunquam inimicum reperit.

Scintilla electrica, quoniam spasmis solvendis

multum polleat, huc quoque adhibita est, sed vario eventu, variis corporibus. Hystericarum hoc remedio sanatarum, narrationes multae in actis medicorum diversis decantantur; sed potius ad unam, quantum scio, omnium exactissimam relegare placet; quam Doctor EVANS * Philadelphiensis Chartula sua edidit. Timor forsan auxilio sit, cum accessio instat. GREGORIUS doctissimus in praelectionibus exemplum refert, ubi multum profecit, alterum vero cui mala majora adjecit; effectus varii sunt (secundum HOME) diversis aegris, haud raro saeviores, nec ii sunt, quibus temperare possumus; amenorrhoeam etiam inducere observatur.

Ammoniaretum cupri, haud ita pridem crebrius in usu venit, sed laudibus manu liberrima condonatis, nunquam merebatur. *Zinci oxydum* quoque aliquando satis "large assumptum "est, cujus vires et usus, utcunque laudati fue"rint, adhuc parum certi videntur †."

Mulieres nonnunquam, animis demissis, appetentia cibi laesa, et aliis, suasu aut ipsa-

* London Medical Obs. and Inq. vol. i, art. xi.

† Conspectus Medicinae Theoreticae, 352.

rum, aut male amicorum, omnino perperam in auxilio asciscunt,

"The cordial drop which makes the bitter cup of life go down."

Contra hanc consuetudinem tam execrandam et nequissimam, verbis satis validis obtestari nequeo; simul enim atque hoc quasi Lethes humore delibutae, oblivionem curarum et molestiarum perceperint, redeunt, iterum iterumque potitantes, donec stimulo sensim aucto in ebrietatem incidunt. Ad hujusmodi praxim detestabilem saepissime medicis monentur; sed breve quod sic nascitur solatium, nimis care emitur incremento languoris mox subsecuturi: tum quoque vini modus indies augendus, ut animi pariter recreentur, totam valetudinem miserabiliter perturbat conquassatque *. Hoc modo, morbi hysterici, nec magni momenti, schirro hepatis, hydropi, apoplexiae, paralysi, et aliis, adjiciuntur et necant.

Hinc est, quod praeter medicamina supra dicta, subjiciam, omnes tincturas, aut quaslibet res alcohole compositas, "cane pejus et angue "sunt vitandas."

* Heberdeni Commentarii, p. 204.

Tantum de factis praecipuis affectus hystericos referentibus edissere constitui. Ultimum venit, eorum phaenomenorum rationem praebere.

Rebus quas jam in priori hujus dissertationis parte diximus, plane videbitur, omnia ante Willisii tempora perobscura fuisse, et eum quoque notiones omnino falsas seduci se sinisse. Tres motus convulsivi causas proposuit; originum scilicet nervorum irritationem; finium deinde eorum irritationem; humorem denique subtilem a cranio descendentem, tota cava nervorum occupantem. De secunda causa praesertim, satis probabiliter constat. Tertia autem, mirabilis ille humor, prorsus nullus est. Praeterea, fluidam nervos implere Willis contendit, unde leges hydraulicas contra peccat, quoniam hae duas fluidas eodem canali ex adverso profluere non posse ostendant. His irritationibus junctis, quae spirituum animalium displosiones appellat, gignuntur; atque hoc in modo hysteteriae, tanquam aliarum distentionum rationem exponit. Rem ipsam hic loci nihil morabor,

nisi dicam trium morborum spasmodicorum causarum, mirum mihi videri WILLISIUM vel quam maxime ambiguam pro hysteriae causa selegisse.

Quum omnes hujusmodi rationes incassum proferantur; unde, rogo, ventura est explicatio satis accurata et idonea? Manifestum est indicia accessus hysterici in parte alvei intestinalis aliqua incipere; atque cum causam secundam WILLISII tanquam vero haud absimilem admisimus, concludere aequum erit causam hysteriae excitantem in irritamento nervorum primas vias circumfusorum consistere. Causae tale irritamentum quae efficere possunt infinitae fere existunt, totumque corpus pariter ac ipsa intestina stimulant. Harum non paucas supra recensuimus, sed spiritus, pituita, vermes, cibus parum idoneus, scirrhus, viscerumque nonnullorum obstructiones, similiter observantur: causa tamen frequentissima ex stercore plus aequo collecto exoritur. His foeminae privatim opportunae, et a vita sedentaria cui destinantur, et a fabrica corporis delicatiore qua instruuntur. Constipationem ef-

fectus jam propositos edere, nullis, mihi videtur, negaverit; praesertim, cum vires purgantium remediorum ad conditionem intestinorum naturalem integrandum vel brevi perpenderit.

Talia morborum simplex observatio nobis indicavit: quantum igitur, aut quousque processit anatomia, in modis propriis, quibus irritatio istiusmodi facta sit, detegendis? Huic ut respondeam, labores amici nostri doctissimi Jacobi Sanders* perutiles auxilio invocare impulimur.

Dum corpora quaedam convulsionum mortua forte fortuna exploraret, haud parum miratus est nervos omnes, qua exordiuntur, sanguine rubro circumdatos reperiri; necnon plus minus turgere, prout organum convulsum plus minus exagitatum esset. Ab iisdem indiciis per plurima alia cadavera deprehensis, illud deducere coactus est: Organo quovis, motu convulsivo aut spasmodico correpto, hujusmodi sanguinis congestionem, uno eodemque momento, primordia nervorum organum ipsum alentium obsidere. Praeterea turgescentiam una cum spas-

* Lectures on the Practice of Physic.

mo recedere, aut spasmo redeunte, una redire contendit. Sanguis hicce ruber venulis continebatur; quae parvo sane negotio in truncos majores vestigari potuerunt: atque hoc equidem nervo cuicunque accidere credit, sive a cerebro, sive a medulla spinae ortum ducente. Exempli gratia, si motus oculorum turbantur, origines tertii, quarti, quinti, sextive nervorum congestione obrui affirmat. Cum lingua exagitatur, sanguis super nonum aut quintum, aut utrumque, pariter atque octavum, cumulatur. Si brachium distentionibus vellatur, tum quo loco nervos e cervice ad hoc suppeditandum primum decedere notamus, ibi sanguis congeritur. Utrisque brachiis simul correptis, eadem in latere utroque observata fore, nihil dubitat. Exinde concludit, siquando spasmi ex uno in alterum brachium migraverint, congestionem simul nervos lateris illius dimittere, hujus adoriri; quod omni qualicunque *metastaseos* vel motus convulsivi exemplo accommodari poterit. Persuasum ideoque habet, spasmi praesentiam atque durationem signa solum visibilia praesentiae *congestionis* et durationis existere.

Opinionem itaque hanc ut hysteriae accommodemus, notandum est, signum praecipuum effectuum hystericorum motus quosdam *spasmodicos* alvei intestinalis esse, sursum versus ad guttur procedentes. Nervi vitam visceribus conciliantes, neminem latet, e medulla spinali exoriuntur; unde consequitur, quod inter accessum hystericum, congestio protinus quidem apud origines nervorum primum laesorum incipit: postea autem alios post alios raptim occupat, donec gulam perventam sit. Hinc orbis sursum se volventis sensus; neque minus strangulationis finem versus accessus quae urget. Sin autem epilepsia aut apoplexia comitentur, hoc accidit non alia causa quam quod nervi congestione majorem in modum laborent, pluresque eorundem eodem tempore: verum apoplexia vexante, membranas ipsius cerebri turgere opinatur.

Rationem ejusmodi est quam Dr Sanders ad phaenomena hysteriae manifesta, omnesque varietates in motu organorum voluntariorum et non voluntariorum, cum stupore quoque haec comitante, explicandam sufficere admisit.

Non corpus erat sine pectore qui delicatam hanc sententiam confingere et proferre potuit: sententia quae testimonio locupletissimo, oculato scilicet, suffulciatur; nos enim testes adfuimus; atque certe exploratione ulteriore (quod nullae priorum de hysteria concedere possumus) bene digna videtur. Quod si omnibus numeris consentire reperta sit, additamentum hercle neque parvum scientiae de nervis nostrae subministrabit.

FINIS.